Q. F. F. S.

DISSERTATIO DE DISCRIMINE IVRISIVRANDI AFFECTIONIS IN INFINITVM AC IN IMMENSVM

AD L. 4. §. 2. DE IN LIT. IVR.

QVAM

SVB PRAESIDIO

DN. AVGVSTINI LEYSERI

I. C.

IN POTENTISSIMI REGIS POLONIARVM ET PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIS AVLA CONSILIARII, IN ACADEMIA VITEMBERGENSI ORDINARII, CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTORIS, CVRIAE PROVINCIALIS AC SCABINATVS ASSESSORIS PRIMARII

PRO SVMMIS IN IVRE VTROQVE OBTINENDIS HONORIBVS

DIE DECEMBR. A. Q. S. P. cIɔ Iɔ cc XXXVII

IN AVDITORIO MAIORI

H. C.

PVBLICE TVEBITVR

IOANNES GVILIELMVS STRVVIVS

FRANCOHVS. SCHVVARTZBVRGICVS.

VITEMBERGAE LITTERIS SCHEFFLERIANIS.

IVDICII CIVILIS SVPREMI

QVOD

CAELESTI MVNERE

SERENISSIMIQVE PRINCIPIS

SCHVVARTZBVRGICI

IVDICAT FRANCOHVSAE

PRAESIDI

ANTIQVI GENERIS SPLENDORE

ET

PLVRIMARVM DIGNITATVM DIGNA

TOT MERITIS PVRPVRA

FVLGENTI

LEGVM SCIENTIA SCAEVOLAE

NEC NON

ASSESSORIBVS

STIRPIS FAMILIAEQVE FAMA

PARITER AC

HONORVM DOCTRINAEQVE VARIETATE

CLARIS

VSVQVE RERVM PERITISSIMIS

PERILLVSTRI AC EXCELLENTISSIMO
ILLVSTRIBVS EXCELLENTISSI
MISQVE

VIRIS

PATRONIS

SVMME PIEQVE DEVENERANDIS
LVCVBRATIONVM PRIMITIAS
IN PIGNVS SVBMISSIONIS AC OBSERVANTIAE
OFFERT ET CONSECRAT

IOANNES GVILIELMVS STRVVIVS



Q. D. B.

§. I.



aturalis ratio, licet ſit omnium communis, non tamen eſt eadem in obligandis hominibus, ſed vinculum modo laxius infert, modo arctius, quo adſtringimur ad aliquid faciendum. Dantur, ſi obligationem pro officio ſumſeris, amoris & honeſtatis officia, quae ex ſolo amore, unde & nomen acceperunt, orta reſpiciunt aliorum commoditatem, ita tamen, ut ob infinita, quae ex uiolenta illorum extorſione in homines redundant, iurgia & altercationes, deſtituta omni coactione externa, pudori cuiuscunque et ſtudio uirtutis ſpontaneo relinquantur. Dantur alia, quae et ſunt et dicuntur neceſſaria officia, quae ſeruant alteri intacta ea, quibus iamiam

est instructus, et ne quis, detractis iis, aut pereat aut misere uiuat, facultatem concedunt declinantes ab officio etiam inuitos in uiam reducendi

§. II.

Ius Ciuile, idemque Romanum, non seruit per omnia iuri naturali, sed eidem addendo aliquid et detrahendo demum est constitutum *L. 6. ff. de Iust. et Iur.* Fecerunt autem Romani, quod licet omni societati, dum obligationem, quam ratio dictitat, non omni quidem uinculo suo, sed illa tamen necessitate denudarunt, quae, addita *in pr. Inst. de Obligat.* denotat, ius experiundi in iudicio, inuitumque ad solutionem compellendi. De nihilo non erit, nonnullas, quibus aut additum aliquid, aut detractum, referre obligationes, ut certum quiddam et breue exempli causa ponamus, Sic pacta, quae honesta sunt, et in se continent possibilia, producunt omnino obligationem, iure naturali adeo constantem, ut nihil magis congruum fidei humanae putet Vlpianus, quam ea seruare, quae inter eos placuerunt *L. 1. pr. de Pact.* At enim uero Iure Romano, aut ob studium uirtutis, quod Legislator, *ut Vinnius ait*, relinquendo aliquid hominum spontaneae fidei excitare tentabat, aut ob commoda uitae et ministeria, ad quae, quod existimat *Gerbardus Noodt*, non omnia pacta utilia esse censebant Romani, aut denique ob animi leuitatem et praecipitantiam, quam Leges, uti rem explicat *Dn. de Ludevvig*, in pactis cauere uoluerunt, quae neque in se habent caussam, nec transeunt in proprium contractus nomen, pacta nuda non pariunt obligationem sed pariunt exceptionem *L. 7.*

§. 1. 4.

§. 1. 4. *ff. de Pactis.* Ex iis contra, quae ex amore et honestate proficiscuntur officiis, ius ciuile quaedam addito uinculo suo, in ciuitatem quasi recepit, quaedam uero collaudauit quidem, ita tamen, ut suum non superaddat, quod infert necessitatem, uinculum. Audiamus de his non sine uoluptate Vlpianum, regulam Pauli in *L. 144. de R. I.* late pariter ac egregie sic quasi exponentem: *Licet uenditori uel effundere uinum, si diem ad metiendum praestituit, nec intra diem admensum est, effundere autem non statim poterit, priusquam testando denuntiat emptori, aut ut tollat uinum, aut sciat futurum ut uinum effunderetur, si tamen cum posset effundere, non effundit, laudandus potius est L. 1. §. 3. de Pericul. et Commod. Rei Vendit.* Et omissis aliis, quae aucta uinculo ciuili in legibus passim occurrunt honestatis officiis, liceat iam unice inhaerere iis, quorum caussa haec omnia diximus, Vlpiani uestigiis in *L. 4. §. 2. de in lit. iurando, licet,* inquientis, *iurare in infinitum, sed an iudex modum iuriiurando statuere possit, ne arrepta occasione iuretur in immensum quaero? Et quidem in arbitrio esse iudicis deferre nec ne constat. An igitur qui possit iusiurandum non deferre, idem possit et taxationem iuriiurando adiicere, quaeritur? Arbitrio tamen bonae fidei iudicis etiam hoc congruit.*

§. III.

Vt iam omne, de quo nunc dicendum est uberius, extremis tantum, ut dicunt, digitis attingamus, occupatus est ICtus in iure definiendo, quod competit illi, cui res est restituenda quidem, sed dolo malo non restituitur. Tunc enim licet Domino rem aestimare ex suo,

 quem

quem iurat, animi affectu in infinitum quidem, sed interueniente tamen, ne iuretur in immensum, iudicis arbitrio. In quem et aestimandi et iurandi modum, quaedam, qnae nunc disputo, magis differere lubet, quam iudicare.

§. IV.

Aestimare rem idem est ac pretium imponere. Aestimatio uero denotat tum actum, quo pretium rei imponimus, tum ipsum, quod indi solet, pretium *L. 34. C. de Locat. Conduct.* ibi: non solum rem sed etiam aestimationem uictrici parti, ad similitudinem inuasoris alienae possessionis, praebere compelluntur. Est autem pretium. *Quantum illud morale, quo res ad relationem adeoque ad dimensionem aptae redduntur.* Cuius tamquam generis in suas species diuisiones et specierum naturae paulo accuratius erunt indagandae.

§. V.

Abit autem pretium potissimum in duas species, quarum altera est omnium, quae ex se determinat, pretiorum uicarium, et dicitur *Eminens*, cuius ulteriorem disquisitionem ab institutis, quae teneo, alienam esse censeo, altera autem est, quod rebus externis et operis commutandis imponi solet, et dicitur *Vulgare*, in quo nunc uersamur, *pretium*. Vtilitas scilicet rerum, quarum unam summus Creator ad alteram, omnes autem ad augendam uitae iucunditatem accomodauit, deficiente ea in nos indole, quam primaeua

maeua respiciebat rerum Communio, ansam dedit acquisitioni dominiorum tum originariae tum deriuatiuae. Translationem uero nostri dominii, ex quo omnes acquirendi dominii modos deriuatiuos concipimus, rationis dictamen probat quidem, sed, ne nimis donando ipsi bene beateque uiuere cessemus, non semper commendat gratuitam. Hinc ut in translatione dominii onerosa, cuius species uidetur antiquissima rerum permutatio, quisque facta rerum contentione maiorem uel minorem earundem sciret utilitatem, alienantes uix poterant carere pretio seu quanto illo uulgari, quod pro unitate assumtum, res quarum relationem ad se determinat, dimensionis effecit capaces.

§. VI.

Rem igitur omnem, quando agitur de pretii uulgaris origine pariter ac fundamento, uti modo dixi, conficit dominiorum acquisitio, quorum caussa res esse coeperunt illius pretii. Iisdem igitur, quibus homines inducti aut repudiarunt aut meditati sunt rerum dominia, uix inuenies pretii uulgaris caussas plures uel pauciores. Sunt autem duae, quae dominiis ansam dederunt, ideoque et pretii uulgaris caussae, quas eleganter, uti omne hoc argumentum, exponit Cel. Köhlerus, *remoueas*, inquiens, *mente utilitatem ex rebus singularibus et separatim percipiendam, et remouebis cupiditatem consectandi earum dominium, nec ita minus tolles earundem pretium. Ponas e contrario res quascunque utilissimas in tanta copia, quae longe maior est numero hominum eas appetentium, et ponas alias, quarum numerus est*

 minor

minor multitudine eas appetentium, et posteriores non prioris generis res dominio nostro dignae existimantur §. 1594. sq. Ex. Iur. Nat. Cessante igitur rerum raritate earundemque utilitate coniunctim pariter ac reuiuiscente, et cessat et reuiuiscit, alterutra autem uariante, illud ipsum uariatur uulgare pretium. Qua de re tantum abest, ut uel auctoritate Doctissimi Thomasii (uid. illius diss. de Pretio affectionis in res fungibiles non cadente Cap. I. § 10.) uel antiquitate prouerbii communis: Omne rarum carum, commoti, fundamentum omnis eiusdemque uariantis pretii in sola ponamus raritate, ut potius res licet pari modo raras Romae et in Hispania, utiliores tamen Romae et pretiosiores ibidem, teste experientia, dicamus.

§. VII.

Ille autem, qui permutat rem suam ualide, etiam quod propter permutationem rebus est assignatum, imponit pretium. Quae impositio, dum fit a nemine, domino, qui unice permutare potest, excepto, est omnino effectus dominii, quem etiam ex iure cuiuscunque, quod inest dominio, re sua utendi facile possumus perspicere. Interim caue existimes, quae permutationem sequitur, pretii impositionem omni carere lege, ita, ut eadem domini arbitrio, quanto, quanto, sit penitus relicta. Nam certum est de iure saltem naturali, imponentem pretium, licet sic utendo re sua neque ulli faciat iniuriam, nec ideo quod in eodem statu naturali est laesio, cogi possit ad pretium hoc uel illud determinandum, legibus tamen aliis, quae extorsionis impatientes ruborem saltem excitant,

citant,

citant, obligari ad aſſignandum rei pretium, quod conuenit uerecundiae, qua neglecta non uiolamus quidem, ſed, ut Tullius ait, offendimus alios, ſeu repugnamus, quod idem eſſe uidetur, quem aliis debemus, amori.

§. VIII.

Raritas rerum et utilitas concauſſae, ut ita dicam, pretii, quarum illa a paucitate rerum, haec a relata perfectione ad ſtatum noſtrum originem trahit, neque rebus ipſis inhaerent, nec circa rem unam eandemque aequali ſemper occurrunt ratione. Hinc mutantur manente eadem rerum natura quotidie pretia, et poſita re omnibus aequaliter rara, non ſtatim teſte experientia par omnium ex illa re ponitur utilitas, nec idem, quod tum deficit, uulgare pretium. Fac enim inita ſubductaque ratione ſummam omnium rei utilitatum, quarum licet plurimae in alios, nullae tamen in te, redundant, ecquid tibi erit pretii? Fac contra computationem earum, quae et tibi et aliis pariter ſunt utilia, nec maioris ea habebis, quam alii. Immo fac denique ad ſtatum tuum relationem rerum quae tibi magis, quam aliis modo maiorem modo maximam afferunt commoditatem, et aequale commodó, et peculiare tibi, habebis iterum rei pretium. Interim, quod dolemus, mens, qnae comparat haec omnia, et in hoc argumento imbecillitatis ſuae dat documenta non exigua, amplectuntur enim plures pro Iunone nubem, et defraudati ſpecie, neſcio qua, boni, utilitatem quaerunt, quam ipſi opinantur ueram, alii autem re rectius cogitata, imaginariam et iudicare et damnare ſolent. Quae omnia ſi recte conſideres, nouam habebis

bis pretii uulgaris diuisionem, in Commune scilicet et Affectionis, quorum illud est, *quod plures, eiusdem ordinis homines, rebus iisdem, propter utilitatem uulgarem, par et aequale imposuerunt*, hoc autem, *quod unus uel alter attribuit rebus, ob sibi peculiarem eandemque uel ueram uel imaginariam, quam genio suo indulgens inde sentit, utilitatem.* Quod quidem affectionis pretium, quatenus et ad uulgare refertur, ut ad genus suum, et extra permutationem damno esse potest, septis iisdem, quae paulo ante diximus, cinctum, aequitate demum extorsionis nescia, definiri solet ac determinari.

§. IX.

Quae usque huc de pretiis rerum diximus, non ignorant Leges Romanae, illustrantes mirum in modum, quae ratio dictitat, addendo tamen nonnunquam suum, et detrahendo aliquid, prout id salus postulabat publica. Sic Paulus eleganter differit de pretio Eminenti in *L. 1. pr. de Emt. Contr.* et incidit in implicitam pretii uulgaris mentionem, dum homines, quod sane sine pretio non potuit fieri, utilia inutilibus permutasse, fatetur. Immo eiusdem pretii uulgaris, tum originem, tum proprietates, sigillatim sparsas et uage disiectas, nobis exhibent Romanorum Leges. Primo enim Paulus *in L. 63. ff. ad L. Falcid. pretia*, inquit, *funguntur non utilitate singulorum, sed communiter.* Sicuti uero res in *L. 6. ff. de R. C.* mutua uice fungi dicuntur, quando una substitui potest in locum alterius, ita et hoc loco pretium in tantum fungi uidetur utilitate, in quantum in locum unius rei commutandae substitutum alterius rei utilitatem

tem exprimit. Quo satis eleganter innuisse uidetur ICtus eandem, quam supra diximus, pretii uulgaris originem. Deinde idem, quod ante iecimus, iactum in Iure Romano uidemus pretii uulgaris fundamentum, quod est utilitas rerum earundemque raritas. Vtramque iterum Paulus satis indicat *in d. L. 63. ff.* et alteram quidem in pr. Legis docendo, pretia non re fungi, sed rei utilitate, alteram uero, ponendo ibidem §. 2. uarietatem pretii in loco et tempore, quo raritatem magis, et copiam, quae locum tempusque comitatur, quam ipsum locum et tempus, quorum ille a modo, quem dicunt coëxistendi, hoc autem, a successiuorum ordine est repetendum, dixisse censetur. Neque etiam obstat utilitati, pretii fundamento, quae utilia inutilibus permutari, ideoque, quo accedente fit permutatio, pretium non semper utilitate fungi, affirmare uidetur *L. 1. pr. de Contr. Emt.* quoniam hic inutile, interprete Gothofredo, illud dicitur, quod nobis superest, et licet ad usum nostrum strictiorem praecise non sit accommodatum, inseruit tamen acquirendae rei, quam alter, si spectes eundem usum, sibi inutilem putat, utilitati. Nec obstat, quod dicit Paulus *in cit.* §. 2. *L. 63. ff. ad L. Falcid.* concaussae alteri, quae est raritas, pretia scilicet non ex ea, quae raro accidat, caritate, constitui. Tantum enim abest, ut ille raritatem neget ex parte pretii uulgaris fontem esse, ut potius, occupatus in constituendo pretio praesenti, raritatem praesentem, non aliquando futuram attendendam esse existimet. Postremo, quod in emendo et uendendo naturaliter est concessum, quae plures sint, minoris, quae minoris sint, pluris, uendere, illud *in L. 22. §. 3. Locat. Cond.* totidem uerbis exponit ICtus. Gaudet igitur eodem iure dominus et utendi re

ſua, et pro arbitrio pretium conſtituendi, facultate, ita tamen, ut utilius uiſum fuerit, modum aeſtimandi relictum conſcientiae a lege naturali, anguſtioribus circum ſcribere cancellis, iisdemque, addita quadam neceſſitate in foro externo efficacibus. Vnde innotuit in ciuitate pretium Legale, quod refert *Dn. Thomaſius in §. 13. laudatae diſſert.* potiſſimum ad res fungibiles *ob L. 1. §. 11. ff. de Off. Praef urb.* ubi praefecto urbis cura relicta carnis omnis, ut iuſto pretio praebeatur. Immo in contractibus oneroſis dimidium, quo minoris res conſtat, in aeſtimatione attingere licet, non autem excedere *L. 2. C. de Reſcind. Vend.*

§. X.

Leges autem Ciuiles, ſi rem aeſtimant, pretium quidem adoptarunt Commune, cum pretia non ex affectu nec utilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur. *L. 63. pr. ff. ad L. Falcid.* attamen non ignorantes, quod ex dicta lege ſatis apparet, communi oppoſitum affectionis pretium aliquid in re aeſtimanda affectui permiſerunt, ut in aliis cauſſis *uid. L. 35. ff. de Minor.* ita inprimis, quando alter dolo non reſtituit rem, quam debet reſtituere. Neque etiam ſolum affectionem animi ab effectibus naturalibus exortam, atque in re ipſa fundatam, ſed eam etiam, quam ex uarietatibus, quae foris ſunt, nec rei naturae inhaerent, percipimus, Leges Ciuiles approbant. Extrinſecus enim quae accedunt domibus pupillorum, cum in iis defecerit pater, minor creuerit, ac in iis maiorum imagines fixae aut reuulſae ſint, domus aeſtimant in *L. 22. C. de Adminiſtr. tut.* Negan-

gantes igitur posterius illud, quos recenset *Dn. Thomasius in* § *36 dict. diss.* uel hac lege refelluntur, ita tamen, ut inficiando hoc nemo unquam abnuat modum ac finem affectioni inani ac tenui praefiniendum. Quam quidem modum, dictum a *Dn. Thomasio* tum demum legitimum, quando instar metus iusti in *L. 6. ff. quod metus caussa.* in uirum constantem cadat, aeque ac illam metus disquisitionem iudici relinquimus, qui cognoscit caussas, quibus moti homines capaces consilii peculiare rebus suis imponunt pretium, ducta quidem similitudine, auctore *Thomasio*, ex metus caussa, non uero ex dicta lege sed ex *L. 3. ff. Ex quibus caus. maior* in quam disputat ILLVSTR. PRAESES *in Sp. 517. Med. 1. sq. ad. ff.*

§. XI.

Verba restituendi et reddendi, quae ob *L. 39. §. 2. ff. de Statu Liber.* inter se non differunt, quamquam significatum habeant retrodandi, accipiunt tamen per se dandi significationem *L. 94. de V. S.* Restituit igitur aliquis non solum reddendo, quae dominii sunt nostri, sed dando quoque quod nobis in actionibus petitionibus et persecutionibus est, illud enim omne in bonis nostris esse uidetur *L. 49. de V. S.* Quicunque uero haec omnia, quae reddere debet, non restituit, iniuste retinendo dum uiolat id, quod nostrum est, laedit nos et damnum infert, ad quod reparandum omnes obligantur, ita, ut aut reddere oblata, aut praestare debeant aliud, quod rei oblatae aequiparatur. Et suauiter conspirans et continuata in hoc argumento aequitatis

et Legum Romanarum inter se est affinitas et cognatio. Non solum enim Imperatores in *L. 8. C. de Iudaeis et Coelicolis* ad sua cuique committenda obligant, sed et inter se distingunt damni reparandi modos, si audiamus *Ulpianum* sic differentem in *L. 68. ff. de Rei Vind. Qui restituere iussus iudici non paret, contendens, non posse restituere, si quidem habet rem, manu militari officio iudicis ab eo transfertur possessio et fructuum duntaxat, quae sunt pars rei omnisque caussae nomine fit condemnatio.* Re igitur, licet ab inuito restituta, deficit omnis laesio, et in laeso damnum, quo cessante cessat et ad damnum reparandum obligatio, et digna legum animaduersione iniuria. Neque uero, quando impediti facto detentionis iniusto non possumus rem restituere, eadem, quam modo diximus, est damni, et dati, et resarciendi, ratio. Nam licet res, quae non restituitur, cui non abest pretium per *L. 14. de V. S.* non abesse, nec igitur pretio soluto, ulla damni iniuria, superesse uideatur, noua tamen, eademque ex iure pactorum repetenda, est laesio, si cogis alterum iniuste, aut ad uendendum, aut ad recipiendum id, quod aliud est pacto constitutum. Ingrauescente autem laesione, et duplicata nunc, quae ante erat unica, iustum est omnino, quod dicunt Imperatores in d. L., non solum sua cuique committere, sed et aliena appetentes coercere supplicio. Satis igitur et consulere domino, cuius uoluntas, aut ad uendendum, aut ad recipiendum aliud pro alio, detorquetur, et cupiditatem alieni refrenare uidentur Leges, quae testante *Vlpiano in d. dicta L. 68.* sic porro sanciunt: *si quis non potest restituere, si quidem dolo fecit, quo minus possit, is quantum aduersarius in litem sine ulla taxatione in infini-*

tum

tum iurauerit, damnandus est, si uero nec potest restituere, nec dolo fecit, quo minus possit, non pluris, quam quanti res est, i. e. quanti aduersarii interfuit, condemnandus est. Fandemque quam uolunt Imperatores poenam clarius indicat *Paulus* in *L. 2. de in lit. iur. interdum*, inquiens, *quod intersit, agentis, solum aestimatur, ueluti cum culpa restituentis uel non exhibentis punitur. Cum uero dolus aut contumacia non restituentis uel non exhibentis, quanti in litem iurauerit actor.* Et recte quidem. Nam dolus et culpa, quarum ille a machinatione fallendi *L. 1. §. 2. de Dol. Mal.* quae est omissio deliberata diligentiae debitae, haec autem a desidia ac negligentia *L. 72. ff. pro Socio* seu indeliberata eiusdem diligentiae omissione tamquam fontibus profluunt, in laedendis aliis, si animum, et, quae hunc sequitur, poenam, respicias, differunt inter se quam maxime, licet parum intersit domini, utrum dolo an culpa res sua sit ablata. Quamuis igitur obligatio, ad suum cuique committendum, sit eadem in casu utroque, poena tamen, qua Imperatores in *dicta L. 8. de Iudaeis et Coelicolis* cupiditatem rei alienae et detractionem uindicari uolunt, altera est recte altera durior superimposita. Soluitur hinc re deperdita, quam quis culpa leui non restituit, quantum abest alteri, et accedit id, quod alter lucrari potuit in poenam culpae ex qua damnum, quod sentit non restituens, non sentire intelligitur *L. 203. de R. I.* Aestimatio autem eius, quod interest ob culpam fit absque iuramento a solo iudice. *L 3. ff. L. 2. C. de in lit. iur. uid. Huberus ad tit. ff. de in lit. iur.* neque affectionem respicit nobis peculiarem, sed quanti res omnibus ualet *L. 33. ff. ad L. Aquil.* quod est pretium, nec excedere debet duplum rei in casu certo,

 quam

quam poenam culpae satis congruam esse putat *Iustinianus* in *L. un. C. de Senten. quae pro eo quod interest profer:* Tu uero an satis esse putas eandem quam culpae, dolo irrogari poenam? Minime uero. Nam qui dolo rem non restituit, est raptor *L. 70. ff. de R. V.* ideoque dignus grauiori poena, quam quae in negligentiam est constituta. Neque igitur sufficit, dolo et quae huic aequiparatur lata culpa *L. 2. C. de in lit. Iur.* re interuersa, pretium soluere, ad quod detracta etiam omni poena nihilominus obligamur, nec aestimatio eius quod interest, duplo, et communi pretio, attemperata, qua culpam dimetiri solemus, satis erit poenae, sed cum contumacia punienda sit, inquit *Marcellus* in *L. 8. ff. de in lit. Iur. arbitrio potius domini pretium est statuendum, potestate petitori in litem iurandi concessa*, ita, ut iurari possit *in infinitum, et an in immensum* iuretur, quaerat ICtus in *L. 4. §. 2. ff. de in lit. Iur.*

§. XII.

Quid infinitum sit hoc loco et quid immensum, in lege citata ornate magis, quam distincte satis dictum esse uidetur. Erit igitur, tum ex omni huius legis constructione, tum ex aliis Legibus, huius diuisionis uis ac interpretatio repetenda. Qui auctore *Ulpiano in L. 68. ff. de R. V.* aestimationem in infinitum eam dicunt, cui non accessit taxatio quaedam, et *Trebonianum* Legem hanc *ex Lib. 37. ad Edictum* exscribentem, quae de taxatione et aestimatione in immensum in lege nostra constituta sunt, de suo addidisse credunt, ad tempora Ulpiani mittimus, in eo magis solliciti, ut diuisionem,

licet

licet a Triboniano inuentam, a Iustiniano tamen approbatam, odorando quodammodo peruestigemus. Agitur autem in principio Legis de aestimatione ad utilitatem domini non uero aliorum referenda, nam hoc est emolumentum illud, quod tutores, qui non sunt domini, saepius ignorant, et scire demum possunt, utilitate ex statu domini, quem beat, considerata. Sermo igitur est de pretio affectionis, cuius natura respicit peculiarem cuiuscunque utilitatem ueram pariter ac imaginariam, quae, demto statu Ciuili sola aequitate naturali, iisdemque, quos aliis debemus, amoris officiis est circumsepta. Ecquid uero aliud agit ICtus in § 2. legis nostrae, quam quod, posito ante in poenam doli affectionis pretio, nunc ipsi affectioni ponat eosdem, quae naturalis ratio, limites, ita tamen, ut addita iuris Ciuilis necessitate iis, quae natura tantum erant honesta, aestimare liceat rem in infinitum, seu ultra Commune aliorum consensu definitum pretium in tantum, in quantum aequum esse uidetur, modo non in immensum, quod auctore *Iustiniano in L. un. C. de Sentent. pro eo quod interest prof. ex nimiis affectionis machinationibus, et immodicis peruersionibus in circuitus inextricabiles retractum, facit, ut alter*, quod sane iniquum est, *cadat pro sua impossibilitate.* Atque hoc est immensum illud in pretio affectionis quod in computatione eius quod interest, a Legibus satis superque coarctata, cum infinito unum idemque dicitur *in d. L. un.* Infinitum uero immenso oppositum sumitur ciuiliter, uti *Cellus* ait *in L. 9. ff. de Seruitut.* et excludit in Legibus, neque omnes, sed arctiores tantum limites, uti in *L 7 ff. de Edict. dil.*, ubi *Viuianus*, seruum fanaticum, licet caput non semper

iactet,

iactet, nihilominus sanum esse, dicit, addita hac ratione: ne *in infinito* multos sanos esse negemus, nec aequitatem, quod satis apparet *ex cit. L. 9. ff. de Seruitut.*, qua uiam habens *in infinito* ire agere potest, quod tamen auctore *Celso*, illud in se habet aequitatis, ut non per medias uias ire agere liceat, cum illud per alteram partem fieri queat aeque commode.

§. XIII.

Noua igitur, eademque, quam ius Ciuile introduxit, est pretii affectionis diuisio, *in infinitum* et *in immensum*, quae quidem, aestimandi modum constituendo, non statim quantitatem ipsam definit pretii, quae teste ILLVSTR. PRAESIDE *in Sp. 146. Med. 2. 3. ad ff.* lege determinari ac definiri nequit. Est enim non omnium ex eadem re utilitas, nec igitur similes erunt, quae hanc sequuntur, et affectio, et affectionis pretium, et pretii denique, quae a lege poni posset quantitas. Rectius igitur relinquunt Leges nostrae, et affectionis, et quantitatis, determinationem, ex ea, qua saepius haec omnia non possunt aliter probari, iuris necessitate per *L. 11. ff. de in Lit. uir* religioni domini, rei suae optimi moderatoris et arbitri, qui iurat in infinitum, adiiciuntque, ut quantitas respondeat modo in legibus praescripto, iudicis arbitrium, qui prudentia sua de omni affectione cognoscit (*per* §. *10.*) summamque ex aequo moderatur *L. 4. §. 2. ff. de in lit. iur.* et, quod expresse dicitur *in L. 18. pr ff. de Dol. Mal.*, *taxatione refrenare uidetur iuramentum.* Ex quibus omnibus nunc satis apparet, quid sibi uelit iurare in infinitum, et in immensum, quorum illud deno-

denotat iuramentum, *quo quis, re dolo aut lata culpa ita interuersa, ut manumilitari non possit auferri, rem aestimat ex sua affectione, aequitati naturali conformi, accedente, quod hanc aestimationem approbat iudicis arbitrio;* hoc autem significatur *iuramentum, quo quis itidem, re dolo aut lata culpa interuersa, ut manu militari non possit auferri, rem aestimat ex sua affectione, inuita aequitate naturali, accedente, quod hanc aestimationem moderatur, iudicis arbitrio.*

§. XIV.

Inest igitur iuramento in infinitum, et aestimatio rei, et iuramenti religio, quae duo cogitatione magis quam re separari queunt, quando uideamus, *Ulpiano* duce in *L. 4. pr. ff. de in lit. iur.*, quis possit iurare in infinitum. Iuramenta, quae oriuntur ex pactione litigatorum, iurant omnes, modo quid agant, intelligant, cuiuscunque aetatis et sexus sint, iusiurandum enim, aduersus eum, qui contentus eo, cum deferret, custodiri debet omni modo *L. 26. de Iureiurand.* Sicuti uero ex pactione uerborum, quibus iusiurandum comprehenditur, ii demum obligantur, qui sunt puberes. *Auth. Sacramenta puberum C. si aduers. uend.* ita et ob eam, quae in hac caussa continetur, aestimationem, tantum adoloscentes, si uelint, iurare queunt, non autem impuberes, per *d. L. 4. pr.*, huiusmodi enim aetatis pueri, non satis capaces sunt consilii, neque sciunt aestimationem nec decernere queunt, *L. 8. §. 2. L. 9. ff. de acqui. uel omitt. heredit.* Nec adeo possunt impuberes, quod eleganter obseruat *Ant. Faber in Rational. ad h. l.*, accedente

tuto-

tutoris auctoritate aestimatam rem iuramento confirmare, quia ea tantum, quorum iacturam, si damno est, tutelae iudicio consequuntur, *L 17. ff. de Auct. et Cons. tutor.*, auctore tutore perpatrare queunt, non uero, quae Deum ultorem habent, et metuenda sunt, periuria *L. 2. C. de R. C.* Posita nunc idonea ad iurandum aetate, ea etiam, ut ualidum sit iuramentum, accedere debet rem aestimandi facultas, quae competit tantum litis domino, et illi, qui suo nomine litem est contestatus. *L. 7. ff. de in lit. iur.* Denotat autem lis hoc loco rem omnem in iudicium deductam, unde est ipsum in litem iusiurandum, et litis aestimatio in *L. 46. de R. V.*, ideoque dominus est litis, ad quem omnis cuiuscunque, de quo lis est, negotii, pertinet utilitas, cuius dominium dicitur principale, et opponitur illi, quod est, et procuratoris, et accessorium, de quo agunt *DD. ad tit. ff. de Procurator. et Defens.* Huius uero principalis domini est, rei suae imponere pretium, quod et supra diximus (*in* §7.) et adhuc dicitur *in L. 8. ff. de in lit. iurand.* Nec igitur iurant et procurator et cessionarius, qui, lite alieno nomine contestata, habent, et fictum, et accessorium, litis dominium, ex quo procurator interueniente speciali mandato, ut minister quasi domini principalis et nuncius, cessionarius uero, instar specialis procuratoris, in animam cedentis, iurant *uid. Dn. de Berger, Resol. ad Lauterb. Lib. 18. tit. 4. qu. 12. et Oe. Iur. Lib. 4. tit. 25. §. 1. not. 2.* Soli autem Tutores, Curatores pupillorum uel adolescentulorum, et mater tutrix, qui auctore *Dn. de Cocceii in Iure Controuerso ad h. l.* sunt instar domini rei, quin ueri domini negotii, eiusque auctores, dum integrant personam pupilli, ideoque iurant quasi de suae rei affe-

ctione,

ctione, cum intersit pupilli, ut iudicio finis possit adhiberi, non coguntur quidem, quod graue esset, ignorantes et inuiti sub alieni compendii emolumento ad subeundum anceps periurii periculum, admittuntur tamen ad iurandum, aestimatione facta ad pupilli utilitatem, si tantam affectionem pupillo suo uel adolescenti praestare uolunt. per *d. L. 4. pr. ff. de in lit. iurando.* Nec magis, quam tutores, ipse litis dominus ad praestandum hoc iuramentum inuitus cogitur. Est enim illud, quod Leges in poenam contumaciae introduxere iuramentum, simul beneficium domini, quod non obtruditur inuito *L. 1. de in lit. iurand.* uid. ILLVSTR. PRAESIDIS *Sp. 146. M. d. 4. ad ff.* Ex quo consequitur, peti posse, omisso iureiurando in litem, ut aduersarius ad iurandum per mandata poenalia compellatur. *ibid. Berg. Oe. Iur. Lib. 4. tit. 25. §. 3. No. 10.*

§. XV.

Deferre autem iusiurandum iudicem oportet, et, si alias detulerit, uel eo non delato, iuratum sit, nulla erit religio, nec ullum iusiurandum, et ita constitutum est in *L. 4. §. 1. de in lit. iur.* Est enim hoc iuramentum, quod comprehendit quantitatem, quae, aliunde, quam arbitrio Domini non poterat definiri, ex iuris necessitate, quam necessitatis rationem ut et pretii quantitatem, ut iudex cognoscat, omnino est aequum, relicta uero cognitio litigatorum uoluntati inuisa Legibus uidebatur, et maxime suspecta. Interim, caussa hac cognita, licet iudici, et a primo non deferre hoc iuramentum *L. 5. §. 1. de in lit. iur.* Hinc iure et Legibus disceptando, disputat

tat *Bachouius* non inscite contra *Treutlerum*, qui, *iudicem ad deferendum cogi posse*, asserit *in Disp.21. Vol. I. §.11. Lit. c.* eundemque deceptum credit uerbis: *deferre iusiurandum iudicem oportet in d. L. 4.* quibus tamen iuramentum hoc distinctum ab illo, quod defertur a parte, a solo iudice dicitur deferri. Iudex autem cessante ea, ob quam iuramentum hoc est introductum, iuris necessitate, cessat uero quando aliunde constat de affectione domini, rectius facit, inquit ILLVST. PRAESES *in Sp. 146. Med. 5. ad ff.* si illud omittit, atque ipse, si modo id ulla ratione potest, rem aestimat, ne temere decernat iusiurandum, quod non erat necessarium.

§. XVI.

Iuramentum in iufinitum comprehendit affectionis pretium, hinc et supponuntur res, in quas cadit affectio, quas uocat Ulpianus *incertae aestimationis L. 3. ff. de in lit. iurand.* Certum est, definiente *Paulo* in *L. 6. de R. C.* cuius *species uel quantitas, aut nomine suo, aut ea demonstratione, quae nominis uice fungitur, qualis quantaque sit, ostenditur.* Hinc certa rei aestimatio est pretium illud, quod indicatur, aut ipso nomine rei, aut ad rem aliam, quae nominis iure fungitur, relatione. Neque igitur quantitas pro pecunia sumta in *L. 11. de Compensat.* nec speciebus opposita, qua significatur id, quod pondere numero et mensura continetur in *L. 39. de Legat. 1.* in se aliquod habent affectionis pretium. Nam pecunia, cuius publica ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationum, aequalitate quantitatis, subuenit *L. 1. de Contrab. Emt.* est certum quidam suo nomine,

mine, et quantitates reliquae, quae dicuntur fungibiles, et cum communi contineantur specie *L. 29. de Solut*, in genere suo functionem recipiunt, per solutionem, quam in specie *L. 2. §. 1. de R. C.*, certae fiunt alia, quae est relatio ad quantitates generis sui, demonstratione. Fingas igitur hominem ejusmodi rebus pretium singulare prae caeteris tribuentem, aut inane erit, nec iudicem oportet in litem iusiurandum deferre, cum sit certa rei aestimatio. *pr. d. L. 3.*, aut non afficit ipsam quantitatem, sed u. g. eam, qua res aliis sui generis uel rarior est uel antiquor, conditionem, quam prudentia cognoscit Iudex (*per. §. 10.*) Interim caue existimes et iis, quae sunt incertae aestimationis, rebus semper inesse affectionis pretium. Incertum enim stipulatur sibi, qui id stipulatur, quod est in faciendo, ueluti fossam fodiri, domum aedificari, *per L. 75. §. 7. de V. O.* non utique ob id tantum, uti *Vinnius* ait, quod priusquam quid fiat, incertum est, an fiat, sed et, quia, si fit, incertum est, quale sit, et quanti pretii, et si promissor non faciat, inducitur obligatio, in id, quod interest, cuius quantitas iterum est incerta *L 68. eod.* Sunt etiam incerti pretii seruitutes, nam seruitus impraesentiarum utilis utilior est ea, quae expedit aliquando, et iam imponi potest, *L. 19. ff. de Seruitut:*, ideoque illo, maioris, quam hoc tempore, pretii: Et nihil ominus superuacuum erit, quod nemo prudens in faciendo, patiendo, aut non faciendo, unquam posuit, affectionis pretium. Quibus ductus noua hac iuramentum diuisione ornauit et locupletauit *Dn. Thomasius distinguens illud in §. 7. Cp. 3. laudatae diss. de Pretio affectionis in res fungibiles non cadente*, in *regulare*, et *irregulare*, quorum illud iuratur in rebus, in

 quas

quas cadit affectio in infinitum, hoc uero in iis, ubi affectio deficit, quanti actoris intereſt *L. 10. ff. de in lit. iurand.* licet ratio ipſius, quod res incorporales non ſint obiectum emtionis uenditionis ordinarium, nec factum admittat pretium, quod tamen eſt obiectum locationis conductionis, in qua merces locationis conductionis eſt pretium *L. 51. §. 1. Locat. Conduct.* non ſatis intelligatur. Demto igitur facto, demtisque rebus incorporalibus, in quibus ſi u. g. uitium parietis non emendatur nec cautio praeſtatur, iuratur ſine affectione quanti noſtra intereſt *L. 7. Si ſeruit. uindicetur. L. 10. ff. de in lit. Iurand.* Immo demta denique quantitate, in quo ſi iuratur, id tantum attenditur, quod intereſt, *L. 3. de in lit. iur.*, reſtant denique ſpecies ſeu corpora ſingula eademque a quantitatibus diſtincta *in L. 6. ff. de R. C. L. 6. ff. de R. V.* quae in mobilia et immobilia diuiduntur, quorum utraque, ſi habeat reus, manu militari auferuntur, quod et mente agitaſſe uidetur *Marcellus* in *L. 48. ff. Locat. Conduct.*, ſi uero non poſſunt reſtitui, ſi quidem dolo factum eſt, ea omnia, quod alia in alios exiis redundat utilitas, incertae ſunt aeſtimationis, admittuntque ob peculiarem, qua et prudentiores delectantur, utilitatem, et pretium, et affectionis in infinitum iuramentum.

§. XVII.

Res aeſtimata accedente in litem iure iurando eſt ea tantum, quae nobis reſtitui debet. *L. 68. ff. de R. V.* Hinc merito ceſſat illud in iudiciis contrariis, ubi de fide rei praeſtandae rupta non agitur, ſed de indemnitate eius, qui u. g. depoſitum ſuſcepit *L. 5. ff. pr. Depoſit.* In-

Interim nihil agunt, qui testante ILLVSTR. PRAESIDE *in Sp. 146. Coroll. 2.* uerba restituendi reddendique quae in *L. 1. 2. 3. ff de in lit. iur.* et in *L. 68. ff. de R. V.* occurrunt, captant subtilius quam par est. Sunt enim, qui, licet obstante *L. 94. de V. S.*, ubi reddere est, tum per se dare, tum retrodare, ducti tamen hoc argumento, quod detur iuramentum in litem, eo demum casu, quo quis dominium rei suae in alterum transferre cogatur, rem nostram, quae retrodatur, restitui tantum existimant. At uero quid impedit, quo minus iniquitati desiderii, rem per uim quasi comparandi, de qua constat in *L. 11. C. de Contr. Emt.* alteram, quae est in promptu, adiiciamus, nec minorem nec laudabiliorem, qua aliud pro alio soluitur inuito creditori *L. 2. §. 1. ff. de R. C.* Est utraque, et uiolatio pactorum (*per §. 11.*) et contra iuris rationem *per de L. 11. C. de Contr. Emt. L. 16. C. de Solut.* ideoque eadem, ubi eadem est ratio, adesse debet legis dispositio *L. 32. de L. Aquil.* Nec parit rationis diuersitatem arbitrium statuendi, quod iuramento in est, pretium, soli domino relictum. Nec obstat illi *L. 155. de R. I.* qua odiosa stricte sunt interpretanda. Nam et creditor imponit pretium idemque affectionis, ob utilitatem, quam ex re sibi debita sperat, singularem, non uulgare quidem, quod tantum in permutandis rebus, qui unice permutare potest, assignat dominus, sed illud tamen, quo quisque rem quamcunque etiam alienam facit dimensionis capacem, quod ut iuret quis, nulla uidetur obstare ratio: Odiosum uero, quicquid sit, in hac caussa, oritur ex reorum facto, quod cuique, auctori magis, quam aduersario, nocere debet per eandem *L. 155. pr. de R. I.* Sententia igitur est generalis per *L. 68. ff. de*

ff. de R. V. ut re, siue sit tantum in bonis nostris, siue sit in dominio nostro, quae fuit restituenda, dolo malo et lata culpa non restituta, et nunc deperdita, iuramentum in litem, in interdictis, et actionibus in rem ac in personam, locum inueniat, ita, ut suppositis iis, quae dicta sunt in superiori §. iuretur modo in id, quod interest, modo in infinitum ex affectione nostra. Atque haec summatim de iis dicenda sunt, quae tractat copiose *Dn. Thomasius in Cap. 3. Laudatae dissertationis* de his, in quibus iuramentum illud obtineat, iudiciis, respondendo ibidem ad plurimas, quae obstare uidentur, Romanorum Leges, quibus licet huc transscriptis nunc supersedere queamus, inductus tamen in actione hypothecaria, ac in iudiciis, et tutelae, et negotiorum gestorum, et emti denique, quod negat *Dn. de Cocceii* in Iure Controuerso h. t., immo parum curans, utrum bonae fidei an stricti iuris sint iudicia, iuramentum hoc admittendum esse, uerecunde arbitror.

§. XVIII.

Quod reliquum est, de nihilo non erit, dicere de periurio, more *Pauli, in L. ult- de in Lit. iurand.* tria tantum uerba, antequam supremos labori praesenti imponamus manus. Est autem periurium uiolatio iurisiurandi, qua quis iurat lingua, non autem animo, quod adesse semper uidetur in iuramentis reliquis, in quibus, post iusiurandum exactum, ex integro caussa agitur secundum *L. 13. ff. de Iure Iurando.* At enimuero longe alia est iuramenti in litem ratio, quo quidem interueniente, ex magna caussa, et postea repertis probationibus,

ex

ex quibus minor patet affectionis caussa, licet iudici aut prorsus absoluere reum, aut minoris condemnare *L. 4. §. 3. ff. de in lit. iur.* sed de periurio eius, qui ex necessitate iuris in litem iurauit, quaeri facile non solet *L. ult ff. de in Lit. iurand.* Quamuis enim ponas hominem, qui iurat in immensum, si de suo tamen in rem animo iurauerit, neque ille sensisse aliter et aliter dixisse nec adeo periurus dici poterit unquam.

COROLLARIA.

I.

Iuramentum in infinitum comprehendit etiam quantitatem eius quod interest, hinc iuraturus in infinitum non debet ante probare quantitatem eius quod interest. uid. ILLVSTR. DN. PRAESID. Sp. 147. Med. I. ad ff.

II.

Iudex, dum moderatur iuramentum in immensum, adhibet testes, peritos aestimatores et ocularem inspectionem. Ibid. Med. 3.

III.

Iuratur etiam id quod interest. *L. 10. de*

in

in lit. iurand. Licet illud, quod intereſt ob culpam, nunquam iuretur. *L. 2. C. de in lit. iurand.*

IV.

Iuramentum in infinitum eſt poena, et beneficium. Punitur enim contumacia. L. 2. *§. 1. ff. de in lit. iur.* neque tamen praeciſe iurari debet, quod eſt beneficium *L. 1. C. de in lit. iurand.*

V.

Quod Philoſophis eſt finitum, infinitum nonnunquam dicitur ICtis *L. 4. §. 2. de in lit. iurand.*

VI.

Iuramentum in infinitum non datur contra heredes ex dolo defuncti, niſi lite cum defuncto conteſtata. *L. 4. C. de in lit. iur.*



ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.
DECANVS
IO. GODOFREDVS KRAVS, D.

DIGESTI INFORTIATI ET NOVI PROFESSOR PVBLICVS, CVRIAE PROVINCIALIS, ET SCABINATVS VITEMBERGENSIS, NEC NON IVDICII PROVINCIALIS INFERIORIS LVSATIAE ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO





Nullum iuramentorum usum fuisse, si in statu innocentiae ac integritatis homines permansissent, ex eo satis patet, quod homines ad imaginem DEI conditi, et in statu integritatis positi, ob concreatam iustitiam ac veritatem simpliciter ex se et sua natura mutuam sibi fidem praestitissent. At corrupta, per deplorandum Protoplastorum lapsum, hominis natura, consecutisque in locum pristinae veritatis ac iustitiae perfidia atque mendaciis, opus deinde fuit remedio, quo naturae huic corruptae aliquo modo succurreretur, et omnis de veritate dictorum promissorumque dubitatio tolleretur. Coepit inde iuramentorum usus, qui enim iurato aliquid affirmat, fidei suae testem adhibet Deum καρδιογνώστην, gravem periurii vindicem, ideoque per hanc iuratam confirmationem praesumtio veritatis et fidei excitatur, cum tam impius iudicandus est nemo, ut DEI, quem iurans voluntatis suae testem invocat, quem fraudis ultorem facit, indignationem

timam fidem inter homines, quam nulla aetas deleat, quia per iurata pacta sponsores adhibet Deos. Pertinet huc CVRTIVS *Lib. VII. Cap. 8.* qui de Scythis, gente barbarica, sequentem in modum scribit: *iurando gratiam Scythas sancire ne credideris: colendo fidem iurant. Graecorum ista cautio est, qui acta consignant, & Deos invocant, nos religionem in ipsa fide novimus. Qui non reverentur homines, fallunt Deos.* Vtrum vero iis, qui Christi nomen profitentur, iurare liceat, exinde nonnulli dubitare solent, quod primum ipse CHRISTVS *Matth. V. v. 34.* asserat: *ego vero dico vobis,* (utimur autem hic translatione SANTIS PAGNINI) *ne iuretis omnino, neque per coelum, quia thronus DEI est; neque per terram, quia scabellum est pedum eius; neque per Hierosolyma, quia urbs est magni Regis; neque per Caput tuum iurabis, quia non potes unum capillum album aut nigrum facere. Esto autem sermo vester: Etiam Etiam, non non; quod autem supra haec redundat, a malo est.* Deinde, quod qui Christi nomen non tantum nomine, sed & re ipsa ac vita sua testantur, ita vivere debeant, ut veritatem moribus & sermone omni colant, atque a mendaciis fallendique studio adeo sint alieni, ut vel unico uerbo idem, quod decem alias iuramentis, fidei praestent. Quibus quidem ex causis descendere videtur, quod monente BOEHMERO *in Iure Ecclesiast. Protest. Lib. II. Tit. XXIV. §. 15.* scriptores primitivae ecclesiae passim professi sint: *Christianis iurare nefas esse.* At enim vero & ipsos inter Christianos iuramentorum usum certo modo & nullo iure reluctante tolerari, eosque adhuc hodie, urgente id amore in alterum & necessitate & interveniente imperantis auctoritate, aut iussu iudicis, salva ac illaesa conscientia asserta sua iureiurando confirmare posse, exinde concludere licet, quod ipse DEVS in sacris literis DEVT. *XXIII. v. 23.* LEVIT. *XIX. v. 12.* EXOD. *XX. v. 12.* & passim iuramentorum usum probavit, atque sub horum vinculo asserta vel promissa servanda graviter praecepit, CHRISTVS vero hunc in mundum non

venit,

venit, ut novas ferret leges prioresque abrogaret, quod nec citato loco *Matth. V. v.34.* facit, sed saltem dicto loco falsam Phrisaeorum doctrinam, qui ex lege Mosis collegerant regulam, *semper & ubique licite & laudabiliter iurari posse*, reprehendit, & rem in pristinum statum reducendo, aliam regulam, Phrisaeorum effictae contrariam, format, neutiquam vero legem Mosis, quae in casibus modo adductis exceptionem sub se continet, abrogat atque tollit. Qui enim regulam ponit, exceptiones reiecisse non videtur, sed eas tacite subintelligit. Et sic minime negat CHRISTVS, cum in praesenti statu corrupto simplici assertioni hominum tuto credendum haud sit, iurisiurandi exactionem & praestationem tunc etiam fugiendam, & tanquam actum illicitum damnandam esse, quoties amor proximi, ut in testimonio ferendo, iuratam confirmationem efflagitat, aut auctoritate Principis vel iussu Magistratus ea imponitur, iis praeprimis in casibus, ubi iuratam assertionem aut confirmationem, vel necessitas quaedam singularis, vel alia ratio probabilis svadet pariter atque exigit. Hunc in modum patres passim Dogma CHRISTI interpretati sunt, inter quos AVGVSTINVS a GRATIANO *C.2. & 5. Caus.22. Q.1.* adductus, referendus est: quo & pertinet LVTHERI nostri annotatio ad dict. v.34. Matth.V. sub voce Schwehren ubi dicit: Alles Schwehren und Eyden, ist hie verbothen, das der Mensch von ihm selber thut. Wenns aber die Liebe, Geboth, Noth, Nutz des Nähesten oder GOttes Ehre fordert, ist es wohl gethan, gleichwie auch der Zorn verbothen ist, und doch löblich, wenn er aus Liebe, und zu GOttes Ehre erfordert wird. Sicuti etiam dubium, quod ex particula ὅλως, in saepius adducto loco MATTHAEI ob-

Cap. XXVI. X. de iureiur. Temerarius enim iuramentorum abusus, cum DEVS in testem veritatis & periurii vindicem invocatur, profanationem Nominis divini, contra gravissimam secundi praecepti in Decalogo prohibitionem, sub se continet, & per eiusmodi temerarium iusiurandum crimen laesae Maiestatis divinae aeque, ac per ipsum periurium, committitur. Optime hinc monet COVARRVVIAS *ad Cap. quamvis de pactis in 6to* non esse absque summa necessitate, nec nisi super rebus maximi momenti, ac tanta religione dignis iurandum, ut taceamus crebriori rei usu, ea magis magisque vilescat. Peccant tamen & ii, qui a praestandis iuramentis prorsus abhorrent, & metu divini Numinis ad superstitionem usque sunt timidi. Cum enim, ob hominum malitiam, simplici eorum assertioni fides iis aliter haberi nequeat, nisi ea iureiurando confirmetur & obsignetur, eiusmodi reluctantes non solum amorem, proximo debitum, sed & statum publicum laedunt, propterea, quod veritatem occultorum supprimunt, &, ne suum cuique tribuatur, efficiunt. Confirmat haec VLPIANVS *in L. 8. pr. ff. de condit. instit.* asserens, neminem in praestandis iuramentis aut nimis facilem contemtu religionis, aut metu divini Numinis ad superstitionem usque timidum esse debere. Sed plura his adiicere desisto, cum potius more institutoque Maiorum Lectori benevolo Candidatus noster ornatissimus ac in Iuris arte versatissimus doctissimusque DN. IOANNES GVILIELMVS STRVVIVS *Francobusanus* commendandus sit. Petiit non ita pridem ab Ordine nostro, quo sibi honores atque insignia Doctoralia cum privilegiis iis cohaerentibus rite conferrentur, atque ad utrumque Examen quod subeundum est iis, qui hos honores expectant, admissus, promtitudine respondendi talem se praestitit, ut communi consensu concluderetur, petitis eius honestis deferendum esse. Vitae suae gesta ipse sequenti modo delineavit.

Ego,

Ego, IOANNES GVILIELMVS STRVVIVS, *ortu Francobusanus, prognatus* IOANNE CHRISTIANO STRVVIO, *apud eosdem Francobusanos senatore, natus die ii. Novemb A. 1711. ex* IVSTINA SOPHIA, CASPARIS LINDEMANNI, *Senatoris, filia, usus sum parentibus maioribusque honestis. Atque ex eo statim, quo ex pueris excessi, tempore, inter caetera dulcis parentum amoris vestigia, illud, quo me puerum iisdem, quibus puerilis aetas impertiri solet, litteris, imbui curarunt, recordor inprimis ac reminiscor. Tradidit enim & commendavit me ne infantia quidem maiorem parens, per decennium fere, in disciplinam privatam Domini* IAEGERI, *fungentis iam Francobusae publico Con-Rectoris Munere ac officio, cuius dexteritas operaeque, quam mihi inde a prima aetate dedit, assiduitas, ponenda est mihi omnino in laude eximia. Sub idem vero tempus, quo ille praeceptor meus praefectus Conrectoris officio, se ad munus pensumque suum revocabat, incidit aetas mea, in ea, quae mihi gratulor, tempora, quibus Vir Summe Reverend.* Dn. KLVGIVS, *nunc S. S. Theol. Doct. & Eccles. Vitemb. Archi-Diac. tum vero temporis LL. Artium Magister, veniens Vitemberga, & praepositus Rectoris Muneri, Lyceum omne, quod Francobusae est, ad curam suam transtulit. Quem cum audiuerim per aliquot annos, docentem, delectantem, & permoventem discentium animos, assvetus iis, quae ad humanitatem pertinent, litteris, doctrinisque ad concipiendam sapientiam praeparatus, Ienam profectus sum, A. 1729. ad mercaturam quasi bonarum artium, & ductus, Philosophiae, & Legum, studio operam dedi* STOLLIO, KÖHLERO, REVSCHIO, & HAMBERGERO *pariter ac* BEKIO, BRVNQVELLIO, BVDERO, DIETMARO, DRESSELIO, *Viris versatissimis in philosophia, legum scientia, & antiquitatum monumentis, iisdemque artis suae Rosciis. Elapso fere quadriennio,*

erat discessus in tempus aliud. Ipse igitur demum mihi redditus annos, & quod excurrit, abhinc duos, ad animum reversus pristinum, veni Vitebergam, & per biennium institutus hic praeceptis monitisque summorum ICtorum, inprimis vero Illustr. DN. LEYSERI, *quem submisse veneror* & Magnifici DN. CRELLII, *Fautoris summopere Colendi, facto nunc periculo mei, summos in iure utroque ambio honores. In quibus obtinendis, ut, quae supersunt, omnia succedant ex sententia, in votis habeo.*

Restat, ut iam superatis reliquis, ultimum eruditionis suae legalis specimen edat, atque sub Moderamine Viri illustris atque Magnifici, Domini AVGVSTINI LEYSERI, *Iuris Consulti excellentissimi, in Regis Poloniarum & Principis Electoris Saxonis aula Consiliarii, Consistorii Ecclesiastici Directoris, Curiae Provincialis ac Scabinatus Assessoris primarii & Ordinis Iuridicii Ordinarii longe gravissimi* Dissertationem *de discrimine iurisiurandi affectionis in infinitum ac immensum ad L. 4. §. 2. ff. de in litem iur.* proprio Marte a se conscriptam, tueatur atque propugnet. Habebit eam proxime futuro Die Iovis. Quem actum solennem, ut Magnificus Academiae nostrae RECTOR, illustrissimi DN. COMITES, PATRES CONSCRIPTI, Civesque Reipublicae nostrae literariae addicti, ac omnes, qui studiis favent, honorifica sua praesentia ornare eumque illustriorem reddere velint, Collegii & Candidati nostri, meoque nomine, omni, qua possum, observantia peto ac rogo simulque pro hoc singulari benevolentiae genere, me pariter atque Candidatum nostrum ad mutua quaevis studia, officia atque obsequia obstringo. P. P. Dominica III. Adventus Christi Saluatoris nostri, Anno MDCCXXXVII.

VITEMBERGAE
TYPIS IO. DAVIDIS SCHEFFLERI.